

emplum est praecedentium *Petri Blesensis Epistolarum*, et quidem uberius, nam Index praemissus C. LI. recenset. Procedunt illae pulcre cum Editione supracit. usque ad Epist. 128. Dein Epistola nobis 29. *Canon Episcopalis* est, quem Editor *Guffanvillanus* inter *Opuscula* P. III. p. 447. reposuit. Epistola nobis 130. est Edit. 143. Ab Ep. 131. redit concordia us-

que ad 136. quo loco nos *Inuentiuam in quendam qui sua opera deprauabat*, habemus. Hanc Editor pariter inter *Opuscula* ad p. 455. amandarat. Ab Epistola 137. rursus coincidunt usque ad 143. quae nobis est Edit. 152. Ab Ep. nobis 144. conspiratur usque ad 151. nobis ultimam, cui subjecit *Librarius*:

Finito libro sit laus et gloria christo.

Anno &c. Nonagesimoquarto. Textum admodum paucis mendis laborare deprehendi.

CCCCXL.

R. 516 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 141. f. per duas columnas commode exaratus et rubricis distinctus continet *Petri Blesensis Archidiacon. Bathoniensis*. a. 1200. vivis exemti *Epistolas* jam superiore, et mox hoc *Vol.* a me relatas. Et praefens quidem Codex caret *Epistolis*, quae sunt Editionis *Guffanvillanae Parisi.* 1667. f. ordine 128 — 30. 134. 136. 142. 146. 152. 154. 155 — 83. censet vero inter *Epistolas* n. 84. *Formam relaxandi Interdictum*, quam hic adscribo: *Eius exemplo qui curandis vulneribus oleum post vinum infudit, distractionis uirga percussum recreare te volumus manna dulcedinis, ut qui uerbera patris in correctione sensisti, uerbera matris in consolatione degustes, et in utroque suas deuotior ex deuoto. Quocirca suspensionis sententiam, quam*

in te de iuris rigore protulimus, ex benignitate gratie relaxamus, fraternitatem tuam monentes et obsecrantes in domino, quatenus talem te studeas exhibere, ut de commissio tibi pastoralitatis officio dignam deo possis reddere rationem. Censet praeterea n. 85. *Instructionem Fidei* ab *Alexandro III.* ad *Soldanum Iconii* missam, et n. 152. *Tractatum de Institutione Episcopi* a *Petro* missum *Iohanni Ep. Wigornensi*, quorum illam Editio suprac. p. 431. hunc p. 447. exhibet. Demum tria continet, quae singillatim indicari merentur, et quidem

Fol. 83. p. 2. Monetur abbas relinquere abbatiam, ut episcopatum accipiat. Inscríbatur *Epistola 86.* Neutiquam tamen *Blesensis* est, sed *Innocentii III.* Pont. Max. Audi rationem. Incipit illa: *Nouariensis ecclesie necessitas nouum onus et a nobis imponi et a te suscipi persuadet, que pastoris regimine destituta cum in quenquam de suis concordare nequisset, in te demum unanimi voce conuenit ualde quidem et ad promouendum bonum sui regi-*

regiminis necessarium et ad remouendum malum scismatis opportunum. En loquentem Pontificem. Proinde licet sedeas ad pedes domini cum Maria circa unum necessarium meditante, Marthe tamen erga plurima satagentis non debes ministerium aspernari &c. et post multa in hunc sensum: Hoc autem fili karissime tibi proponimus, ut electionem ecclesie memorate canonicè de te factam deuote recipias &c. et iterum: Illam tibi excusationem non credimus admittendam, quod ideo nolis de monachatu ad pontificatum transire, quia non uis de quiete regredi ad laborem. &c. En audientem Virum religiosum, nec alium, quam Gerardum Sessium Regiens. e Coenobio B. V. M. de Tileto, seu Tilieto Ord. Cist. jam a. 1120. in Dioec. Aquisi Ditionis Mediolan. fundato ad Infulas Novarienses a. 1210. dicto Innocentio sedente evocatum. Epistola satis proluxa.

Fol. 86. Epistola 88. Archiepiscopo. Init: Cum hij qui oraturi cum domino ihesu christo ascenderunt in montem, ab ecclesiarum prelatis sint benignius confouendi, ne sancto ipsorum contemplationis otio a belial filijs perturbato de ipso monte descendere cogantur in vallem et pedes, quos lauarunt, inquinare, fraternitatem tuam monemus et exhortamur in domino per apostolicam tibi sententiam iniungentes, quatenus ecclesias, quas abbas et Canonici de tali loco qui cum maria sedere ad pedes christi dicuntur, ut audiant uerba eius, in tua diocesi obtinere dignoscun-

tur, cum pertinentijs suis propensius habeas commendatas &c. Brevis et generalis Formula.

Fol. 90. Coloniensi electo. Epistola 92. Non alteri, quam Theodorico electo sub exitum anni 1208. Bruno enim bone memorie predecessor per decursum vocatur. Initium est: In archa federis cum tabulis testamenti uirga continebatur et manna, ut in pectore summi pontificis cum diuine legis notitia sit rigor distictionis et dulcedo etiam pietatis. Cum igitur adulfus quondam coloniensis Archiepiscopus suis exigentibus meritis sit uirgam distictionis eius expertus, conuenit ut et manna dulcedinis eius gustet. &c. Non admittit Innocentius compositionem inter hunc Adulfum et Brunonem initam; vult tamen, ut Theodoricus Adolfo de bonis coloniensi Ecclesiae ad sustentationem ipsius congruam prouisionem assignet, quod si concordare nequiverint, arbitros statuit Episcopum et Praepositum majorem Paderborn, et Abbatem (Coenobium non exprimitur) cum Capellanis Monasteriens. Dioec. Multa sunt de Turbis hisce Coloniensis Ecclesiae, de quibus consulenda Gallia Christ. T. III. col. 683 — 87. in vasta Epistolarum Innocentii III. Collectione, quam Tomis II. adornauit Steph. Baluzius Paris. 1682. f. sed tria hic a me relata Monumenta fugerunt, ut puto, Virum solertissimum, dicam et quartum, nempe Formulam relaxandi Interdictum superius a me exhibitam, quae e phrasi pariter ad illum vere magnum Pontificem pertinere videtur,

detur, et fortassis in *Caussa Coloniensi* seruiit. Non negliget haec, si quis olim ad *Baluzianam* Editionem spicas legerit.

CCCCXLI.

R. 83 Codex membranaceus lat. Sec. XII. Folior. 204. f. per duas columnas splendide exaratus, literis initiorum cubitalibus picturatis, passimque coloribus distinctus, et quondam *S. Seuerini de Neapoli*, ut in summa ora pag. 1. notatur, hunc titulum miniatum praefert: *Incipit prologus origenis pluriumque doctorum in canticum canticorum Salomonis*. Initium: *Notandum in primis. Quod in hoc libro Oscula Vera Gene femora ponuntur. In quibus uerbis non est irridenda, sed ueneranda sacra descriptio*. Subjicitur rubro: *Explicit prologus. Incipit Sirasrin id est. Canticum canticorum. Salomonis. Vox ecclesie*. Indicavi Catenam hanc nexam ex Origene, Grego-

rio *M. Iusto* Ep. *Urgellitano* et *Anonymo* e Codice minus bene seruato, a quo tamen praefens Exemplum non semel discrepat. Ita statim in principio Versus I. *Osculetur me &c.* ibi exponitur ex *Origenis Comment.* priore ab *Hieronymo* uerbo, qui legitur *Origenis Opp.* Edit. *Maur.* T. III. *Paris.* 1740. p. 12. f. et *Hier. Opp.* Edit. *Vallars.* T. III. col. 501. et incipit: *Osculetur &c. Vox est sinagoge. aduentum christi desiderantis et inprecantis. Quasi dicat. Quo usque sponsus meus. mittit michi oscula per moysen &c.* In praefenti uero Exemplo Expositio *Origenis* tertia est, et eam praecedit Expositio *Anonymi*, et *Gregorii* e *L. Moralium* XIII. Expositio porro *Anonymi* sic inquit: *Cum enim dominum deum omnipotentem ut osculo oris sui te osculetur rogas, ut filium suum unigenitum de uirgine incarnari faciat rogas &c.* Atque in hac Expositione libenter uidi citari uersus:

Quem sitio uotis. nunc oscula porrigat oris.

Quem dudum (mihi) uenturum prompserunt organa uatum.

Nunc ipse (et) per se et praesens dignetur adesse.

Oscula prebendo. sua dulcia uerba loquendo.

qui sunt carpti e *Paraphrasi metrica Canticorum Willeramii* nostri Abb. *Ebersberg.* in *Bajoaria* Sec. XI. Unde fieri possit, ut Vir hic suis in *Cantica* laboribus lat. et theotisc. de quibus *Volum.* prioriegi, *Catenam* istam tanquam *συμ-βολην*, adjecerit. Variat illa ab Exemplo ex alio Codice cit. etiam in fine; ita enim concludit: *Que*

felicitas illis conceditur. qui contemptu terrestrium. et gaudiorum appetitu caelestium. appellari spiritualium montes aromatum merentur. Ipso prestante qui uiuit et regnat &c.

II. fol. 76. p. 2. sequitur: *Sermo domni Benedicti monachi de compunctione lacrimarum.* Initium: *Karissimi fratres. si agnoscimus miseriam*